Q. D. B. V.

Tmemata,
Qvibus
Primi Chriſtianorum Imperatoris antiqvitates illuſtrantur,

PRAESIDE
CONRADO SAMVELE
SCHVRZFLEISCHIO,
In Congreſſu Diſputantium
publice exponet ac defendet
MARTINVS DIFENBACHIVS,
Moeno-Francofurtanus,
Reſpondens,
ad d. X. Decembr. A. M DC LXXIX.
In Auditorio Maiori,
CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio LXIII.
LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.

1.

QVi curam diligentiamqve adhibent, ut pro eo, ac par eſt, argumenta ad rationes temporum idonea afferant, intervalliſqve convenienter diſtingvant, non poſſunt aliter, qvin ſuo qvaeqve termino definiant, ac deinceps de rebus ſententiam dicant. Qvod ſicuti inſtituto meo congruit, ita ordinis maxime intereſt, et perſpicuitati etiam ſervit, prorſusqve tale eſt, ut me commoneat, unde auſpicari debeam, qvum ſtatutum habeo tradere, qvando imperium Conſtantini M. coeptum, et qvemadmodum deinde geſtum fuerit, qvalemve exitum habuerit, qvatenus id qvidem potiſſimum ad rem ſacram pertinere mihi videtur.

2. Ante omnia vero perqvirendi imperatoris Conſtantini M. natales ſunt, qvi cum genus patriamqve eius oſtendunt, tum ius pariter ac dignitatem ipſius declarant. Etenim Patri ſucceſſit, atqve hac ratione permagnum obtinendi imperii momentum habuit: qvanqvam ſuffragiis et conſenſu praetorianorum militum adiuvari oportuit, ut imperio dignus iudicaretur, *apud Zoſimum II. 9.* ὁρῶντες Κωνςαντῖνον εὖ ἔχοντα οἱ περὶ τὴν αὐλὴν ςρατιῶται, καὶ ἅμα δωρεῶν μεγαλοπρεπῶν ἐπαρθέντες ἐλπίσι, τὴν τοῦ καίσαρος ἀξίαν αὐτῷ περιέθεσαν. Denotat cohortes praetorias, * qvae proxime circunſtabant, qvarum voluntatem ſibi conciliaverat, qvoniam non modo ad imperandum idoneus, ſed etiam magnificus, multaqve largiturus videbatur. Statimqve ſubiungit eventum, aeſtimatione perſonae dignum, qvod nomen decusqve Caeſaris ei tribuiſſent, ſumpta

 dictio-

* *Hos milites expreſſe alibi* πραιτωριανοὺς *vocat, II, 17. Qvod geſtum eſt in Britannia, ubi Conſtantinus eſt creatus imperator, Eutropius X. 2.*

dictione a more induendae purpurae, qvae Caeſaris dignitatem indicabat. Hinc *VI.* 4. de Conſtante pronunciavit, ** habitu Caeſaris purpuraqve fuiſſe ornatum. Caeſarem dicit, *** id eſt, deſignatum Imperatorem. Idcirco Euſebius, qvum cauſam affert, qvamobrem factus ſit imperator et Auguſtus, refert, a militibus **** fuiſſe renunciatum, haud dubie praetorianos innuens, *hiſt. eccleſ. lib. IIX. cap. 13.* Alioqvi neminem antiqvitatis peritum fugit, Caeſaris, et Imperatoris Auguſti titulos appellatione, et auctoritate fuiſſe diverſos. *****

Qvam

** Τὸ τȣ̃ Καίσαρος σχῆμα περιθείς. Et VI. 13. τὸ διάδημα περιθείς. *Contrarium* περιελὼν τὸ διάδημα, VI. 1:. *Conſ.* IV. 35.

*** *Atqvi is ipſe eſt* ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ, *qvod elogium eſt Auguſti imperatoris, atqve hac adiectione alias declaratur. Hinc* βασιλεὺς καὶ σεβαςὸς *ab Euſebio dicitur, qvo notatur imperator Auguſtus. Nam Graecorum, et ipſius alioqvin Zoſimi uſu* βασιλεὺς *per ſe imperatorem ſignat, qvem alibi* ἀυτοκράτορα *appellat, (Lat. Imperator, Caeſar) exemplo Conſtantii, II. 8. & II. 9. Eadem notione apud Procopium aliosqve occurrit: qvin et Hebraeorum magiſtri hoc imitantur, regisqve titulo imp. Conſtantinum deſignant.*

**** Πρὸς τῶν ςρατοπέδων, *qvo vocabulo in numero plurium milites, ſpeciatimqve hic praetoriani deſignantur. Adiutor horum fuit Erocus rex Alemannorum. V. Sext. Aur. Victor. cap. 58.*

***** Καίσαρος καὶ βασιλέως *diſcrimen eſt manifeſtum. VI. 13.* ἀντὶ τȣ̃ καίσαρος βασιλέα πεποιηκὼς, *ubi deſcribit Conſtantem, qvem Pater Conſtantinus ex Caeſare feciſſet Imperatorem. Alibi* βασιλέα *interpretatur* ἄυγȣςον, *II. 35. in Maximo. II. 8.* τὴν τȣ̃ Καίσαρος τιμὴν *vocat, qvoniam* διάδημα, ἁλȣργὶς, ςέφανος, *ſunt inſignia imperatoris auguſti, eaqve de cauſa ſaepe coniunguntur. Apud priſcos reges* χρύσεον σκῆπτρον *denotabat reges, ſed qvi plena regiaqve poteſtate non pollebant, prout* οἱ βασιλεῖς, *qvi hic imperatores ſunt, alibi* ἀυτοκράτορες *et* μονοκράτορες *dicuntur. Obſervat enim Euſtathius in Homer.* Ιλ. α. *regum populiqve talem fuiſſe ſtatum, ut populus ſententiam diceret, reges vero eam approbarent. Qvare ſcriptores Auguſti, et in his Xiphilinus omnino iure meritoqve inter* ἀυτοκράτορα *et* καίσαρα *diſtingvunt. At ſi utraqve coniunguntur, certe valent ad deſignandum imp. Auguſtum.*

Qvam in ſententiam Sextus Aurelius Victor ſcripſit ſeqventia. *Abhinc* (ab eo tempore, Traianus Caeſarem nominavit Hadrianum) *diviſa nomina Caeſarum atqve Auguſti: inductumqve in rempublicam, uti duo, ſeu plures ſummae potentiae disſimiles, cognomento ac poteſtate diſpari ſint, cap. 13. in Traiano, conf. Aelius Spartianus in Aelio Vero.*

3. Simul in hac electione aeſtimata eſt dignitas ſtirpis, ut animadverti qveat, paterni iuris qvoqve rationem fuiſſe habitam, qvod indicavit Conſtantinus Manaſſes, qvando fidem nobis fecit, Conſtantinum M. eam imperii partem, qvae Patri eius Conſtantio ſorte obveniat, velut paterno iure debitam obtinuiſſe. ὁ Κωνσταντῖνος τοιγαροῦν τοῦ Κώνσταντος * τὸ λάχος ὡς ** πατρικὸν παραλαβὼν, *in annal. pag. 91.* Duo hic innuuntur, 1. derivata acqviſitio. 2. qvaſi ſucceſſio, propterea qvod paterno iure imperii portio eſt ad eum devoluta. Itaqve Victor, qvi diu ante Zoſimum ſcripſit, recte explicandus eſt, ut veſtigia ſucceſſionis, vel qvaſi, hic relinqvantur. Qvum enim tradit, Conſtantino mortuo, Conſtantinum filium, *cunctis, qvi aderant, annitentibus imperium cepiſſe,* ſine dubio intelligit praetorianos, cum veneratione ſtirpis, et virtutibus, tum pollicitatio-

* *Conſtantium deſignat, qvem alii Conſtantem ſcribunt, vera, an mendoſa lectione, nunc non inqviro. Vid. eo Ioach. Camerarius in Chronol. Nicephor. pag. 68. Profecto alias Euſebius, Socrates, Zonaras, aliiqve Conſtantium nominant. Alibi nunc Conſtantius, nunc Conſtans appellatur. V.* χρονικῶν κανόνων σωζόμενα *apud Scaligerum pag. 282. & 283. Illud vero hic alienum eſt, qvod Zoſimus* Κώνστα *ſcripſit, propterea qvod is Conſtans fuit, Conſtantini tyranni filius, idemqve non Conſtantino M. ſed Honorio Imp. aeqvalis, VI. 13. Cuius ſcripturae modus per compendium potius, qvam per Doriſmum factus intelligitur.*

** ὡς *veritatem habendi, non inanem et impropriam ſimilitudinem exprimit, cuiuscemodi ſignificationes paſſim obviae ſunt.*

*** *Imperium* παραλαμβανόμενον *qvaſi per manus traditum, qvaſiqve ad ſucceſſionem a priori acqvirente delatum.*

nibus Conſtantini inductos. Qvibus verbis ſicuti operam conſenſumqve praetorianorum confirmare voluit, ita e contrario noluit omnem prorſus inficiari ſucceſſionem. Qvamvis iam Nervae tempore eo licentiae progreſſi fuerint milites, ut *imperium arbitrio legionum caperetur, apud euntem cap. 12. in Nerva.* Qvod malum a qvo fonte promanaverit, accurate deprehendit *Tacitus Hiſt. I. 4.* Id vero accidit, qvum Galba a legionibus factus eſt imperator, *evulgatumqve* adeo eſt *imperii arcanum, poſſe Principem alibi, qvam Romae fieri.* Vtcunqve autem illa ipſa ſe habeant, certe fatendum eſt, Conſtantinum procedenti tempore non ſolum nomen, et famam ſed etiam potentiam amplificaſſe, **** victisqve Maxentio, Severo, Maximiano, Galerio, monarchiae per eminentiam dictae rationes confeciſſe, oppreſſoqve demum Licinio, elogio maximi auctum fuiſſe.

**** *Vid. Zoſimus II. 18. et 19. Conſtantinus Manaſſes pag. 91. Docet Ioachimus Camerarius, Conſtantinum, ſuperato Licinio, magnum fuiſſe appellatum, in Niceph. p. 69. Nunqvam autem vel in tabulis, vel in numis magnum ſe appellavit: ſed victoris maximi titulum ſumpſit, atqve hinc formula tituli orta eſt,* νικητὴς Κωνςαντῖνος μέγιςος *apud Euſebium, Socratem, Theodoretum. Qvanqvam et alii qvoqve titulum maximi uſurparunt, veluti ipſe Iulianus, apud Socratem lib. 3. cap. 3.*

4. Nothus autem, an legitimus fuerit Conſtantii filius, ſcriptores diſſimiliter tradunt, nec Zoſimo, odii in Chriſtianos ſuſpecto, ad unum omnes aſſentiuntur. Qvinimo Zoſimus ipſe, qvi imperante Anaſtaſio dicoro ſcripſit, diffiteri non potuit, Conſtantini patrem plerunqve in Britannia fuiſſe commoratum,* argumento praefecturae, niſi fallor, militaris, qvam non in Bithynia ſed in Britannia, adminiſtravit, nec fere multum abfuit, qvin aſſidue ibi eſſet. Praeterea Victor, qvem alias ſeqvitur Zoſimus, Helenam Conſtantini M. matrem in tantum laude cohoneſtavit, in qvantum eam nomine uxoris

Con-

Conſtantii appellavit. Nam in libro de Caeſaribus memorat, Diocletianum, *directo priori connubio*, qvod cum Helena contraxerat, ei Theodoram, Herculii Maximiani privignam, elocaſſe. *Connubio*, dicit, ut a concubinatu & contubernio diſtingvat. Neqve eo ſecius alter Victor in epitome tradit, qvum ingenue et ſibi conſentiens affirmat, Conſtantium, *abiecta uxore priori*, Theodoram a Diocletiano traditam, in matrimonium accepiſſe. Convenit huic ſententiae, qvod tradit Euſebius, Conſtantium Maximianumqve coactos deſeruiſſe ſuas uxores, τὰς ἰδίας ἑαυτῶν καταλιπόντας γαμετὰς, *in chron. Niceph. ap. Scal. p. 399.* Non ergo in concubinae loco Helenam habuit, ſed uno domicilio coniugioqve eam ſibi coniunxit. Subſcribit Eutropius, atqve a Diocletiano, necesſitudinibus potentiam firmaturo, Conſtantium ad repudiandam uxorem compulſum fuiſſe narrat, *lib. 9. cap. 14.* Cuius metaphraſtes Paeanius, qvum denotat repudiatam a Conſtantio Helenam, eam nominat γαμετὴν * atqve adeo uxorem, non vero concubinam. Ioannes Zonaras nihil definit, ſed aliorum ſententias afferre ſatis habet, atqve ait, alios tradere, Helenam legitimo connubio iunctam, alios contra affirmare, eam fuiſſe concubinam, *tom. 3. hiſtor.* Sed qvisqvis ſcriptores reliqvos diligenter inſpexerit, et honeſta patris filiiqve nomina, qvibus Conſtantius atqve Conſtantinus appellantur, reputaverit, facile intelligit, ea ratione contineri, qva legitimae nativitatis ſignificatione declarantur. Qvamobrem de hac re ita exiſtimavit Conſtantinus Manaſſes, ut ſane qvam partibus noſtris accederet, ac ſeqventia monumen-

* *γαμετὴ uſu huius et aliorum ſcriptorum eſt νόμιμος γυνή. conf. Chron. can. p. 210.*

* *Hoc indicant verba,* ἐξορμῆσαι πρὸς τὸν πατέρα Κωνστάντιον, ἐν τοῖς ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνεσιν ὄντα, καὶ τῇ Βρεττανίᾳ συνεχέστερον ἐνδημοῦντα. *Si enim freqventius, ac prope dicam, aſſidue fuit in Britannia, ſeqvitur, ut vel ex Zoſimi verbis aſſeram, eum non facile alibi, qvam in Britannia geſſiſſe praefecturam, matrimoniumqve contraxiſſe.*

mentis mandaret. Εἶχε Κώνϛας * γαμετὴν Ἑλένην τὴν ὀλβίαν. ** Nec aliter ſenſit Eutychius, Patriarcha Alexandrinus, qvem hortatu Ioannis Seldeni Eduardus Pocockius in Latinum convertit. Is dum in Conſtantium incidit, qvem interpres Conſtantem vocitat, expreſſe tradit in hanc ſententiam. *Vidit* (Conſtantius) *mulierem pulchram, formoſam, nomine Helenam, qvae a Barſica Epiſcopo Robenſi ad fidem Chriſtianam converſa fuerat, nec non legere didicerat: qvam cum a patre petitam in uxorem ſibi duxiſſet, ea ab ipſo gravida facta eſt: reverſo deinde Conſtante Byzantium, peperit Helena filium pulchrum, manſvetum, intellectu praeditum, mali fugientem, ſapientiae amantem Conſtantinum, annal. tom. 1. pag. 408.* Non qvidem neſcio, multa in hoc ſcriptore ineſſe fabuloſa, neqve inficiari poſſum, Helenam *** ante Conſtantinum filium Chri-

* Κώνϛας, *qvi aliis eſt* Κωνϛάντιος, *perinde ut Euthymii interpres qvoqve Conſtantem, Abul Faraius autem ex verſione Pocockii Conſtantinum vocat.*

** *In antiqvis inſcriptionibus non dicitur beata, ſed* piiſſima et venerabilis, *itemqve* mater DN. Conſtantini, *et* avia beatiſſimorum Caeſarum, *nempe ex filio Conſtantino nepotum. Vid. inſcript. Gruter. p. 284. Beatus enim uti de viventibus, ita contra* μακαρίτης *atqve divus ſemper de mortuis dicuntur. Vocabulum,* piiſſima, *titulusqve DN. ſeculi indolem ſtylumqve indicant: nam prius illud Ciceronis aevo novum erat, ab Antonioqve inductum, ut docet Philippica XIII. Poſtea autem uſu receptum firmatumqve adeo, ut inſcriptiones publicas diſtingveret pariter atqve ornaret. Par fere ratio nominis* devoti *fuit, qvod ſeqvior uſus in aliam ſignificationem inflexit, notaturqve alias DV. Titulus DN. iam ſeculo II. qvidem honoris adulationisqve cauſa imperatoribus tributus eſt, publico autem et pragmatico ſcribendi more ſumptus primum a Diocletiano, atqve hinc uſurpatus a ſucceſſoribus eius fuit, qvod inſcriptiones numiqve paſſim teſtantur.*

*** *Auctoritate Paulini, qvarti ſeculi, in qvo verſamur, ſcriptoris, qvi fructuoſam laudabilemqve Helenae in erudiendo ad Chriſtianam religio-*

Chriſti ſacra ſuſcepiſſe: at vero illa partim incerta, partim falſa ſunt, qvae de Barſica, et loco nativitatis Rohae ibidem commemoravit. Adhaec ſuffragantur mihi Theophanes, et Georgius Cedrenus, nec diſcrepat Hugo, monachus Floriacenſis. Euſebius eqvidem in Chronico ſuo contrarium ſcripſit, atqve ex concubina ſuſceptum eſſe Conſtantinum affirmavit, ad *an. 307.* Nec in aliam opinionem diſceſſerunt Hieronymus, Oroſius, et plures cum eruditione, tum auctoritate praeſtantes viri. Sed enim de illo primum videamus, qvod ex Euſebii chronico affertur, qvoniam id non tam depromptum ex Euſebio, qvam foris aſcitum videtur, cum qvod graves et egregii auctores, qvi Euſebium ſecuti ſunt, ſaepeqve exſcripſerunt, nec verbis, nec reipſa tam ingloriae Conſtantini M. nativitatis meminerunt, tum qvod Conſtantinus non invaſit, ut ibi legitur, ſed ſuſcepit imperium, qvod partim iure paterno, partim praetorianorum ſuffragio ad ipſum pervenit, ut ex Manaſſe et Zoſimo, aliisqve iam ſatis confectum eſt. Aliunde igitur haec ſumpta, Euſebioqve inſerta ſunt, qvum dicitur Conſtantinus ex concubina natus. Etenim tota illorum verborum ſeries non invenitur apud eos, qvi res pariter et verba Euſebii retinere conſveverunt. Κελτῶν δὲ βασιλεύσας Κωνςάντιος ἐπὶ ἔτη ιγ ἀπέθανεν. Καὶ διεδέξατο αὐτὸν ὁ παῖς αὐτȣ̃ Κωνςαντῖνος ὁ νέθος ἐξ Ἑλένης αὐτῷ γενόμενος, *apud Scalig. in theſ. temp. p. 282.* Certe haec talia

B

gionem filio diligentiam teſtatur. Diſſentit Euſebius, Conſtantino aeqvalis, et rerum factorumqve eius temporis multo gnariſſimus, de vita Conſtantini M. lib. 3. cap. 47. Sed ab eo diſcedit Caeſar Baronius in annal. eccleſ. ad an. 315. Nec temere negaverim, Britones iam ſeculo II. Chriſti ſacra amplexos, Heleniamqve adeo in Britannia vero atqve ſalutari Dei cultu imbutam videri poſſe: eo magis, qvod eius filia Conſtantia colligitur fuiſſe Chriſtiana, priusqvam Licinio nuberet, ſi qvidem ſuſpicione vacant acta Baſilei Epiſcopi Amaſeni, qvibus tota haec cauſa fulcitur. Vid. etiam Socrates hiſt. eccl. lib. 1. cap. 25.

lia neqve leguntur in Georgio Syncello, nec reperiuntur in Georgio Cedreno, qvi cetera iisdem fere verbis ex Euſebio referunt, bonaqve fide adducunt. Tum vero Euſebius, poſtqvam paulo ante ſcripſit, Conſtantio ex Helena fuiſſe filium, uſus eſt eo nomine, qvo pasſim legitimos utriusqve ſexus liberos deſignat. Eo minus officit, qvod in faſtis Siculis occurrunt, in qvibus nulla Euſebii mentione afferuntur. Omitto alia, ſed id tacere non debeo, qvod in Chronico Euſebii Latino, qvod interpolavit Hieronymus, aperte legatur, Conſtantium et Galerium uxores repudiare compulſos fuiſſe, *lib. prior. p. 47.* Non ergo dubitari poteſt, qvin Helena Conſtantii coniux fuerit, praeſertim cum eius γαμετὴ dicatur. Namqve hac ratione uxor innuitur, non pellex, aut concubina, qvippe cum qva non eſt γάμος, qvandoqvidem concubinatus, etſi Romanis legibus permiſſus, non recipit hoc dignitatis nomen, qvod matrimonii iure cenſetur. Itaqve non eſt, cur de Hieronymo laboremus, qvi aut ipſe ſibi contradixit in Euſebiano Chronico, aut rumore impeditus, aut falſa lectione deceptus fuit. Ne nunc addam, Euſebium qvoqve ſecum ipſo pugnare, ſi haec eius verba germana ſint ac nativa. Illud vero per ſe intelligitur, non facile eſſe vero ſimile, qvod Euſebius futurus eſſet tam imprudens, ut νόθου appellatione viventem Conſtantinum offenderet, prorſusqve temere eum a ſe abalienaret, qvem ſaepe multumqve laudarat. Praeſertim qvum hiſtorico qvaedam interdum praeterire liceat, qvatenus eiusmodi ſunt, ut ſalva hiſtoriae tractatione omitti posſint, qvod hic uſu veniebat, cum ſufficeret dicere, natum ex Helena, ſive genitum, ſive ex ea ſuſceptum, ſive procreatum, ut odium offenſamqve eo circunſpectius vitaret.

5. Verum enimvero Carolus Molinaeus ad probandam nothi maculam affert ex iure Romano argumentum, qvod qvale pondus habeat, videbimus, ut munere, qvod ſuſcepimus,

mus, recte perfungamur. Praeſidium fabulae ponitur in Conſtitutionibus Romanis, atqve eam in rem producitur lex, * qvae vetat praefectum militarem ducere uxorem in ea provincia, in qva praefecti munia ſuſtinet, partesqve militiae adminiſtrat. *V. Melch. Goldaſti monarchia imperii tom. 3. p. 49.* Verum ut hic taceam, qvod Goldaſtus propter auctores illo opere comprehenſos a Theophilo Raynaudo, et noviſſime a Bohuslao Balbino, ** qvantumvis praeter meritum, vituperatur, profecto iſta ſanctio, qvae huic commento occaſionem dedit, recte ſe habet, neqve tamen evincit, qvod putat Molinaeus, nec prohibet, qvo minus a praefecto militari eius provinciae, ubi aliqvam domum duxit, matrimonium recte contrahatur: praeſertim qvum is, qvi duxit eam, hoc animo retinet, ac depoſito munere, qvod in provincia geſſit, in ſententia perſtat. *** Qvod hic uſuvenit, qvoniam Conſtantius Chlorus, confectis ſui muneris rationibus, in hac voluntate perſeveravit, Helenamqve ob virtutes ſibi conciliatam, paſſimqve laudatam, in matrimonio tantiſper habuit, dum ad eam repudiandam adigeretur. Nemo autem vel iuris, vel antiqvitatis tam ignarus eſſe poteſt, ut neſciat, non poſſe mitti repudium, niſi matrimonium fuerit contractum. Qvare ex dictis ſeqvitur, valuiſſe hoc matrimonium, nec a legibus Romanis fuiſſe alienum, ſiqvidem id argumento iuris, et eventu comprobari poteſt.

6. Neqve eo rectius eſt, qvod Molinaeus ibidem tradidit, Helenam in Bithyniae oppido Drepane fuiſſe concubinam: qvod tantum abeſt, ut concedi oporteat, ut qvoqve demonſtrari

* *l. 63. D. de ritu nuptiarum.* ** *In epitome rer. Bohem. lib. 1. cap. 10.*

*** *l. 65. D. de ritu nupt. et l. 6. C. de nupt. Neqve huc afferam, ſaepe etiam ex concubinis factas eſſe uxores, apud Hieronymum in Ep. ad Oceanum, qvando ſufficit, Conſtantium poſt eius muneris perfunctionem in voluntate retinendae uxoris perſeveraſſe.*

ſtrari poſſit, Helenam ex Bithynia non fuiſſe oriundam. † Nam ex panegyriſte veteri, et aliis haud ſuſpectis documentis ſane patet notumqve eſt, Helenam fuiſſe Britannam. Illud vero confictum eſt, qvod aliqvi ex oratione funebri, qvae tertio Ambroſii *tomo* continetur, probare ſtudent, Helenam diverſorium eqvitibus commodum habuiſſe, †† propterea qvod multis indiciis conſtat, ſcriptum iſtud eſſe adulterinum, diuqve poſt Ambroſium exiviſſe in lucem. Ut certe eo ſubſidio haec cauſa fulciri neqveat, auctorqve ipſe huius ſententiae id diffiteri nolit, qvamvis nihilominus venditare ingenium, et arceſſere rationes, atqve oſtentare inſignem eius antiqvitatem opinionis velit. Itaqve fallitur Procopius, Helenepolin ideo conditam narrans, qvod in Drepanenſi vico, poſtea in oppidum verſo, Conſtantium peperiſſet, *in lib. de aedificiis p. 46. edit. Hoeſchel.* ἔστι δέ τις ἐν Βιθυνοῖ πόλις, ἑλένης ἐπώνυμος οὖσα, τῆς Κωνσταντίνου βασιλέως μητέρος. ἐκ ταύτης γὰρ τὴν ἑλένην ὡρμῆσθαί φασι, κώμης οὐκ ἀξιολόγου ταπρότερα οὔσης, ἥπερ τὰ τροφεῖα Κωνσταντῖνος ἐκτείνων, ὀνόματι μὲν καὶ ἀξιώματι πόλεως τὸ χωρίον δεδώρηται τοῦτο. Ait φασι, rumorem nullo auctore nixum innuens, qvoniam non modo non ex vico Drepanenſi oriunda eſt Helena, ſed ne ea qvidem vera cauſa fuit oppidi illic extruendi *Socrates lib. 1. cap. 18. et Sozomenus lib. 2. cap. 2.* Nihil tale exprimunt, qvod probet, Helenam Drepane fuiſſe natam ideo, qvod ex eius nomine appellari, oppidumqve fieri coepit. * Nec fabuloſam Nicephori narrationem ** moramur, eiqve opponimus auctoritatem Philoſtorgii, longe diverſam cauſam afferentis *lib. 2. cap. 13.* Cumqve ab hoc veritatem facti petat Nicephorus, tum rationem eius negligere non debuit, ſiqvidem aberrare falliqve noluit: ſed cur is multo ſecius exiſtimaverit, in praeſens non exqviro, contentus

† *V. Gvil. Camdenus Britanniae p. 569. fin.*

* *Sic Helenopontus, cuius mentio eſt in Novella Iuſtinian. 28. princip. nomen ab Helena tulit, nec tamen ibi nata ſuſceptaqve eſt in lucem.*

** *lib. 8. c. 31.*

†† *Stabulariam hanc* (Helenam) *primo fuiſſe aſſerunt, ſic cognitam Conſtantio ſeniori, qvi poſtea regnum adeptus eſt: in orat. funebri de obitu Theodoſii imp. p. 60. edit. Baſil. 1538. Tum vero aſſerunt, inqvit, non aſſero.*

tus ſuffragio Gvilielmi Camdeni, atqve Iacobi Vſſerii, Virorum antiqvitatis Britannicae multo peritisſimorum, qvi teſtimonio ſuo noſtram ſententiam ornant. *Conf. Caeſ. Baronius in annal. eccleſ.* ad an. 306. unde is qvidem Conſtantini M. imperium auſpicatur, qvod qvale ſit, ſtatim exponam.

7. Multa mihi ſvadent, cur ſententiam, imperium Romanorum anno Chr. CCCV. a Conſtantino M. fuiſſe ſuſceptum*, qvod vel ſolum intelligi poteſt ex anno mortis ipſius, qvi incidit in annum eius imperii XXXII. qvem ſi cum dato Chriſti anno componimus, colligimusqve ſummam, conficitur annus Chriſti V. E. *CCCV.* Qvae ratio qvo loco habenda ſit, perſpicere licet ex Epiphanio, qvi auctor eſt, Conſtantinum XXXII. annis imperaſſe, *in libro de menſuris et ponderibus, p. 176.* βασιλεύσας, inqvit, ἔτη λβ'.

* *Succeſſionem indicat Euſebius his verbis:* θρόνος βασιλείας πατρόθεν εἰς αὐτὸν κατῄει. *lib. 1. cap. 9. coll. 21. de vita Conſt.*

8. Euſebius teſtis pariterqve laudator vitae Conſtantini M. id aſſenſu ſuo comprobavit, et duos atqve triginta imperii Conſtantini annos deſignavit, qvum in hanc ſententiam aperte ſcripſit. Δύο πρὸς τοῖς τριάκοντα τῆς βασιλείας ἐνιαυτοῖς, *de vita Conſtantini lib. 4. cap. 53.* Qvae verba, non dubito, qvin annum imperii XXXII. oſtendant, neqve diffiteor, eſſe eiusmodi, ut refallant diſſentientes. Etſi non ſum neſcius, Euſebium in Chronico XXX. annis, et X. menſibus eius imperium circunſcripſiſſe. Vt vel hinc cognoſci poſſit, Euſebium ſibi non conſtare, et qvum rationes temporum ſubducit, variare, ſibiqve ipſi non conſentire. Verum qvia in Euſebii chronico multa extant, qvae ab alio inſerta videntur, ac vita Conſtantini accurate, et poſt *Chronicos Canonas* confecta eſt, atqve ex profeſſo res de eo perſcriptas complectitur, nihil eqvidem reperimus, qvod eiusmodi ſit, ut nos ab hac ſententia dimovere posſit. Proinde Henricus Valeſius, vir cetera doctisſimus, nimium ſibi indulget, qvando opinatur, addu-

ctum ex libro de vita Conſtantini locum multos in errorem induxiſſe, *annotat. ad lib. 4. de vita Conſtant. cap. 53.* Nullum enim hic mendum extat, nulla fraus occurrit, nulla deniqve falſitas animadverti poteſt. Et tamen nuper etiam pro ea ſententia propugnavit Gvilielmus Beveregius, atqve hoc efficere ſtuduit, ut multis rationibus approbaretur, *annotat. in canon. concil. p. 42.* Eandem cauſam tuetur *chronologiae reformatae auctor Ioannes Baptiſta Ricciolius*, opinione vulgari potius, qvam idoneis argumentis nixus: perinde ut fieri ſolet, qvum non tam ex fontibus, ac principiis domeſticis, qvam ex recentium ſcriptorum placitis non paucae et graves controverſiae deciduntur. Vt mirari ſubeat, cur Ioſephus Scaliger, vir cum in omni auctorum lectione, tum in explicandis temporum difficultatibus longe verſatisſimus, eo fiduciae proceſſerit, ut affirmaret, Conſtantinum ne triceſimum qvidem imperii annum expleviſſe. Qva in re qvidem primum utar teſtimonio Philoſtorgii, qvi omni aſſeveratione affirmavit, Conſtantinum poſtea decesſiſſe, qvam XXXII. imperii annum certe iam ingreſſus fuerat. Nam hoc indicant prorſusqve declarant verba, τὸ τριακοστὸν δεύτερον ἔτος ἐπιβαίνοντος τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου, *lib. 2. cap. 17.* Perperam vertit doctisſimus Iacobus Gothofredus, qvando innuit, Conſtantinum, poſtqvam vivere deſiiiſſet, egreſſum fuiſſe annum imperii XXXII. Non enim dicit ὑπερβαίνοντος, aut τελευτῶντος, qvippe qvae deſignant egreſſum terminumqve, ab ingreſſu,* qvem vocabulum ἐπιβαίνοντος denotat, maxime diſtinctum. Ita vero de Philoſtorgii mente ex Philoſtorgio, qvem Photio acceptum ferimus, iure pronunciamus, meritoqve laudamus Henricum Valeſium, qvi etſi in annotationibus non caſtigavit hanc

* *Ingreſſus hic commode, ſatisqve ample intelligendus eſt de anno tam pridem coepto, qvandoqvidem anno CCCXXXVII. qvem COSS. Felicianus et Tatianus ſignant, die XI. Kal. Iun. e vita migravit. vid. Socrates lib. 1. cap. 40.*

hanc Gothofredi verſionem, tamen recte eſt Graecum verbum interpretatus.

9. Conſentit Sextus Aurelius Victor, ab Andrea Schotto editus, notisqve auctus, qvi cum harum partium ſit, tum manifeſto tradit, Conſtantinum *anno imperii triceſimo ſecundoqve exceſſiſſe.* Theodoretus Lector minime a propoſito ſuo aberravit, dum haec ſcripſit. ἐβασίλευσε Κωνσταντῖνος ὁ μέγας καὶ Φιλόχριστος βασιλεὺς, ἔτη τριάκοντα καὶ ἕν, μῆνας δέκα, *eclog. Niceph. Calliſt. lib. 2.* Auctor Chronici, qvod Matthaeus Raderus edidit, atqve Alexandrinum appellavit, nihilo ſecius de Conſtantino M. narravit: ἐβασίλευσεν ἔτη λά μῆνας ι. *pag. 650.* Nec dubito, qvin ea aliunde ſumpta fuerint, cum totidem verbis apud Euſebium legantur, *V. Euſebii* χρονικῶν κανόνων σωζόμενα, *pag. 287. add.* In qva ſententia eo libentius perſto, qvod multis qvoqve aliis ſubſidiis fultus ſum, et in hac cauſa etiam nitor argumento votorum ſolemnium X. XX. XXX. ſiqvidem pro certo ſumo, eos, ad deſignandum perfectos completosqve imperii annos, adhiberi, qvod ex hiſtoriae auguſtae ſcriptoribus nullo negotio conficiam, ſicubi neceſſe fuerit probare. Etenim more veteri, et imperatorum, qvi praeceſſerant, exemplo Conſtantinus M. non ineunte, ſed exacto decimo imperii anno, vota decennalia perſolvit, qvod numi, qvorum plures vidi, magno antiqvitatis conſenſu oſtendunt. Similiter vicennalia,* confecto imperii anno viceſimo, peracta ſunt, et poſtqvam utraqve feliciter evenerant, his notis deſignari conſveverunt. SIC. X. SIC. XX. Excepto, qvod Licinius tyrannus, aemulatione qvadam et invidia erga Conſtantinum M. non exacto, ** ut Auguſti ſolebant, ſed ineunte decimo imperii anno vota decennalia nuncupavit, qvod meae ſententiae fraudi eſſe non poteſt, qvandoqvidem id extra ordinem factum eſt, atqve eo minus regulae derogat, qvod ratio conſvetudinis, qvae pro lege erat, non aliter patiebatur. Eam in rem tradit

* *VOT. X. VOT. XX.*

** *Anticipatio non iuris, ſed facti.*

Dio.

Dio. *τῆς δεκαετίας ἐξελθούσης, ἀλλὰ ἔτη πέντε, εἶτα πέντε, καὶ μετὰ τοῦτο δέκα, καὶ ἕτερα αὖθις δέκα, πεμπτάκις αὐτῷ (Αὐγούστῳ Καίσαρι) ἐψηφίσθη· ὥστε τῇ τῶν δεκετηρίων διαδοχῇ διὰ βίου αὐτὸν μοναρχῆσαι. καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, καίτοι μηκέτ᾽ ἐς τακτὸν χρόνον, ἀλλ᾽ ἐς πάντα καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι, hiſt. Rom. lib. 53. p. 506. 507.* Qvibus verbis mea qvidem opinione ſatis indicatur, ſolemnes illos ludos, qvibus vota nuncupata ſunt, annis qvinqve et decem exactis fuiſſe peractos. Nec tricennales, niſi finito triceſimo imperii anno, feſti atqve ſolennes fuerunt, qvod ſicut multis argumentis confici poteſt, ita ex Ammiano Marcellino abunde conſtat *lib. 14. p. 17.* Qvibus nemo prudens ſciensqve temere refragari auſit, praeſertim qvum tot antiqvitatum numorumqve documentis adiuvantur. Cuius rei alios multos graves et idoneos auctores habeo, at plures adduci non attinet, propterea qvod veritas in luce poſita non reqvirit teſtimoniorum numerum, ſed pondus. *

* *Cauſae huic ſervit etiam tritum ſermone proverbium, qvod alter Victor in epitome refert, ac totum Conſtantini M. imperium in decem praecedentes, duodecim ſeqventes, et decem noviſſimos annos partitur. V. cap. 61. edit. Schotti.*

10. Illud autem eo ſpectat, ut deſeramus Eutropium, et metaphraſten eius Paeanium, *lib. 10. cap. 4.* itemqve Socratem Scholaſticum *lib. 1. cap. ult.* Sozomenum *lib. 2. cap. 34.* Rufinum *lib. 1. cap. 11.* et Ioannem Zonaram *annal. tom. 3.* Inter qvos tamen hoc intereſt, qvod aliqvi eorum commemorant, Conſtantinum M. imperaſſe uno et triginta annis: aliqvi tradunt, anno imperii triceſimo primo, deceſſiſſe; atqve ii vel ſeorſim de annis, vel etiam adiectis menſibus hoc tale tempus, ſive ex mente ſua, ſive ex mente aliorum, ut Nicephorus, circunſcribunt.

11. Neqve huius inſtituti eſt, refellere commenta, qvae de Hele-

Helena paſſim circumferuntur, cum qvod ſeqviorum temporum ſuperſtitionem prae ſe ferunt, tum qvod nullo verae antiqvitatis monumento nituntur. Cuiusmodi eſt, qvod narrat Hermannus Bavinck de lancea Longini, qvam geſtarit Helena in ſacro itinere Roma Hieroſolymam, atqve hinc Antiochiam ſuſcepto: unde confici poſſit, qvod ritum hunc pietatis cauſa peregerit, et faciendo docuerit, qvid alios oporteat imitari, *in libro ſextum Romae edito p. 22. coll. p. 95.* Eqvidem negare non poſſum, Helenam pio inſtituto iter feciſſe Hieroſolymam, regionesqve Orientis obiiſſe, *apud Euſebium de vita Conſtantini lib. 3. cap. 42. 44.* Sed geſtaſſe Longini Martyris lanceam, et ſacrae peregrinationis exemplum, aliis neceſſario ſeqvendum tradidiſſe, pernegamus. Igitur magna hic cautione opus eſt, qvod Euſebius et Ruffinus in enarrandis ſacri huius itineris cauſis diſcrepant, qvorum alter generatim Helenae propoſitum cum pietate coniunctum ediſſerit, ac deinceps ſpeciatim templa auſpicio eius dedicata, et alia, qvae liberaliter fecit, commemorat: alter autem aliqvid adiungit, qvod apud Euſebium non extat, qvale eſt illud, qvod refert, Helenam *divinis viſionibus admonitam* commeaſſe Hieroſolymam, *lib. 1. cap. 7.* Nihil de hoc tradit Euſebius loco iam adducto: nihil in eam ſententiam affert Theodoretus *lib. 1. cap. 18.* nihil de eo ſcribit Sozomenus *lib. 2. cap. 2.* Omnino autem id poſt Rufinum narrat Socrates, et Helenam *oraculo in ſomnis commonitam*, * veniſſe Hieroſolymam, affirmat, *lib. 1. cap. 17.* Praeterqvam autem qvod Socrates, qvi Euſebii hiſtoriam proſeqvitur, interdum lectionis Euſebianae errore deceptus eſt, auctorem qvoqve eius ſententiae Conſtantino aeqvalem non habet. Etſi e-

C nim

* δι᾽ ὀνείρων, *inqvit*, χρηματισθεῖσα, εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα παρεγένετο. *Conſentit auctor orationis funebris de obitu Theodoſii t. 5. Ambroſ. p. 60.*

nim non inficior, pleraqve ſomnia extitiſſe, qvorum origo ab Deo ſolo petenda ſit, tamen Euſebius hoc non prodit, qvi pro ſua alioqvi diligentia nil facile omittit, qvod tam memorabile eſt, ut inſigniores, easqve diviniores huius argumenti περιστάσεις attingat, praeſertim qvum caput rei, et ratio cauſae impellentis explicari debent. Plura afferre, ſupervacuum eſt, niſi qvod curſim de Helena addam, eam non tam Longini, qvam Luciani martyris memoriam comiter conſervaſſe, ut ex Philoſtorgio colligitur *lib. 2. cap. 13.* Illud enim, qvod de *cruce* Servatoris inventa reliqvum eſt, ita ſe habet, ut nemo fidem praeſtare posſit, veram eam fuiſſe crucem, in qva Chriſtus Servator omnes humani generis noxas morte ſua expiavit. Prudens cordatusqve et pariter ſedulus ſcriptor Euſebius id praeterit, ac reliqvi etiam ſic commemorant, ut non tam ſua, qvam aliorum opinione referre videantur. Primus eius meminit Ambroſius, vel qvisqvis auctor eſt orationis *de obitu Theodoſii*, ſed eius auctoritas ut alias permagna eſt, ita nunc ad probandam huius hiſtoriae partem idonea mihi non exiſtimatur, qvandoqvidem antiqvitatibus ſupplicii crucis adverſatur, qvibus docemur, cruces, in qvas damnati tollebantur, amoveri conſveviſſe: nec facile cum excidio urbis, neqve cum diuturnitate temporis, qvod trium ſeculorum ſpatium capit, neqve cum ingenio regionis, in qva calor cariesqve corpora maxime deterunt atqve infeſtant, conciliari poteſt. Si qvis dicat, miraculo ſervatam, res magis impedita redditur, propterea qvod ratio dubitandi ſupereſt, cur latronum cruces qvoqve cura et conſilio diviniori ſervatae fuerint? Cur item novum miraculum expectari oportuerit, ad crucem Servatoris diſtingvendam a crucibus latronum? Qvod qvemadmodum acciderit, apud Theodoretum invenire licet, *lib. 1. cap. 18. conf. Socrates lib. 1. cap. 17 Sozomenus lib. 2. cap 1. Rufinus lib. 1. cap. 8.* Tradunt hi, Macarium petiiſſe ſignum

ſignum divinitus dandum, qvo crux Servatoris a crucibus latronum diſcerni poſſet: qvae res cum eum non fefelliſſet, approbaſſe eventum, qvae vera Chriſti crux eſſet. Sed petere extra ordinem ſigna, et poſtulare miracula, poſtqvam haec iam aliqvot ante ſeculis deſierant, id vero temeritate non vacat, et pietati pariter atqve prudentiae adverſatur. Alioqvi praeter adductos ſcriptores etiam Sulpicius Severus, *ſacr. hiſt. lib. 2.* et Paulinus epiſcopus ad eundem *epiſt. 11.* ſtant a cauſa affirmantium, qvos cur deſeram, modo planum feci. Simeon Metaphraſtes eo minus fidem mihi facit, qvod multis poſt ſeculis vixit, et cum ſaepe incerta tradit ac falſa, prout in patria ſua hiſtoria nuper oſtendit Franciſcus Godvvinus, tum hic proditam ab aliis fabulam ſeqvitur, *in vita Helenae.* Nec magni eſt mihi auctoritas Nicephori, qvem plus ſemel in hac atqve Conſtantini hiſtoria deprehendi aberraſſe a vero, commentaqve attuliſſe. His confectis, nemo non videt, fabuloſam eſſe Euſebii Romani epiſtolam, qvae ſcripta eſt ad Tuſciae et Campaniae epiſcopos, vel hoc manifeſtae falſitatis indicio, qvod eius auctor dicit, ſe Romanae ſedi impoſito, vel, ut ipſe loqvitur, *ſe Romanae eccleſiae gubernacula tenente*, repertam eſſe Domini crucem, *epiſt. 3. inter eas, qvae nomine eius evulgatae ſunt.* Nam et ſtylus docet, ſeqviorum eſſe temporum, et rationes annorum non ferunt, ut Euſebio, qvippe diu ante inventam crucem defuncto, attribuatur. Enimvero deceſſit Euſebius Romanus Ep. anno *cccxi. alii cccix. ſupputant*, qvo Helena nondum eo animo erat, ut de cruce Servatoris perqvirenda cogitaret. Poſtea vero, qvam concilium Niceae habitum eſt, qvod anno *CCCXXV.* contigit, ad crucem Servatoris qvaerendam ſeſe applicavit, ut ex Euſebio, et temporum illorum monumentis collectu qvidem eſt proclive. Qvod facit, ut in refellendo iſto commento nihil operae inſumere velim, qvod cauſa iam evidens eſt, cur

inventio crucis in Euſebii epiſcopatum reiici non poſſit.

12. Sed qvam nego, veram Chriſti crucem ab Helena fuiſſe repertam, tam affirmo, crucis ſignandae ritum diu ante Conſtantinum invaluiſſe, eumqve veteres Chriſtianos ſine cultu, qvem ſancit religio, ſineqve ſuperſtitione uſurpaſſe. *V. Tertullianus in libro contra Gnoſticos, qvi Scorpiacum inſcribitur, cap. 1.* Qvod documento eſt, ſeculo III. qvo ineunte vixit adhuc ſcripſitqve Tertullianus, illum exprimendae effingendaeqve crucis ritum fuiſſe uſitatum. Illud qvoqve antiqvitatis bene mihi conſcius confidenter addo, cruces in aditu templorum, atqve adeo in loco publico nonniſi poſt aetatem Conſtantini M. fuiſſe collocatas. Sed mos eas conſecrandi tempore poſterior eſt, nec prius in Chriſtianorum conſvetudinem venit, qvam poſt deceſſum Conſtantini M. propterea qvod de eo inſtituto nihil uſpiam recenſuit Euſebius, non alioqvi praetermiſſurus, ſiqvidem per id tempus factae cruces, poſitaeqve in conſpectu publico fuiſſent. Hoc autem ingenue dico fateorqve, aliqvanto poſt, et paucis ab exceſſu Conſtantini M. annis formam figuramqve crucis in templis ſaepe fuiſſe expreſſam. Teſtatur id Nazianzenus vir ſanctus et gravis, qvum *ἑδέων ϛαυροτύπων** mentionem facit. Non autem legiſſe memini aliqvid de crucibus ante templa poſitis, qvatenus de aevo Conſtantini M. mihi ſermo eſt, qvod etſi inſignitum eſt tot baſilicis templisqve paſſim aedificatis, tamen nuſqvam legamus, hunc morem aevo Conſtantini M. tenuiſ-

* *Qvaſi dixiſſet templa cruciformia, ideo qvod crucis formam habuerunt. Perperam alii vertunt, crucibus notata, ut eſt in editione Morelliana. Vid. Naz. carm. IX. in inſomnio de Anaſtaſiae templo p. 79. Cum* ϛαυροτύπῳ *pari a facit* ϛαυροειδὴς, *atqve ea de cauſa tradit Nicephorus Calliſtus, ſe vidiſſe Principes (Caeſares) ſub forma crucis aromata nova adolentes,* ϛαυροειδῶς τὴν θείαν τράπεζαν ἀρώμασι θυμιῶντας καινοῖς, καὶ δῶρα ταύτῃ προσάγοντας. *lib. 12. cap. 41.*

tenuiſſe: qvin actorum eventa, et extructa paſſim tunc ſacra domicilia contrarium demonſtrant. Serius igitur, et ſine dubio poſt tempora Conſtantini M. hoc uſuvenit, qvando indicia ſuppetunt, non multis ab exceſſu eius annis cruces ante templa atqve in conſpectu publico fuiſſe conſtitutas.

13. Nihil vero nunc, ne nimis creſcat diſſertatio, de Helena attexam, cuius qvoqve Iulianus, religionis Chriſtianae deſertor, et Sophiſta Libanius meminerunt. Tum vero inſignes ſolemnesqve ei dicatae ſunt inſcriptiones, qvae et laudes eius poſteritati ſervant, et hoc etiam nobis praeſtant, ut ſeculum primorum Impp. ab aevo Conſtantini M. plane ſatis ac dilucide internoſcatur. *

* *Octogenariam e vita migraſſe, teſtis eſt Euſebius, Rufino Socratiqve velut* αὐτόπτης *actorum praeferendus, in qvantum ſermo eſt de aedificatione templi Hieroſolymitani, lib. 3. cap. 33. de vit. Conſtant. Sed ibidem cum Helenae mortem enarravit, tum errorem ex Origenis ſchola hauſtum prodere videtur, de vit. Conſtant. M. lib. 3. cap. 46.*

14. Ceterum Conſtantinus anno imperii ſeptimo * ad Chriſtianae religionis cultum diſciplinamqve animum advertit, et ſacra publica in urbibus fieri iuſſit, templaqve et baſilicas ingentibus impenſis aedificavit, rerumqve divinarum permagnam curam habuit, nec qvisqvam acrior Chriſtianae libertatis vindex fuit. Praeterea ſacerdotiis ſummum honorem addidit, et eccleſias multis immunitatibus donavit, qvin etiam ab onere tributorum liberavit, pariterqve ſacerdotes ab his moleſtiis relaxavit, ** et illis etiam ius manumittendi conceſſit: *** ad haec crucis ſupplicium ſuſtulit, impiosqve ido-

* *A.C. 312.* ** *A.C. 313.* *** *A.C. 315. Atqvi haec manumisſio in eccleſia vocatur per vindictam, qvia iuſſu Conſtantini eundem effectum habuit, qvem manumisſio iure veteri Qviritium, ad Marculph. formul. not. p. 418. 419. Luſtrorum ſacrificia A. 323. vetuit, et paganos non qvidem ad ſuſcipiendam Chriſtianam religionem coegit, ſed tamen Chriſtianis paganorum communione interdixit, cleriqve munus* ἱερατικὸν *aſſeruit, ſoliciteqve cuſtodivit.*

lorum cultus abrogavit, et acta tyrannorum reſcidit, atqve in univerſum leges ſalutares tulit, improbas autem et acerbitate odioqve Chriſtianorum refertas antiqvavit. *Vid. Euſebius de vita Conſtantini lib. 1. cap. 26. ſeqq. cap. 39. 42. lib. 2. cap. 20. ſeqq. 44. 45. Socrates lib. 1. cap. 2. Auctor chronici Alexandrini p. 655. ſeq. atqve ex eo excerpta Chronol. apud Scalig. p. 283. ubi iure meritoqve appellatur vindex Chriſtianorum tyrannide oppreſſorum* τῶν ἐπὶ Ρώμης κατατυραννουμένων χριστιανῶν. Qvamobrem appoſite in eum convenit vetus inſcriptio, eaqve inſignis, et memoria poſteritatis digna, qvam ſubiungo, qvia neqve apud Ianum Gruterum, neqve apud Caeſarem Baronium extat.

D. N. IMP. CAESARI
FL. CONSTANTINO. MAXIM.
PI. F. VICTORI. AVG.
PON. MAX. TRI. P. XXIII.
IMP. XXII. CONS. VII.
P. P. PRO. CONS.
HVMANARVM. RERVM.
OPTIMO. PRINCIPI.
DIVI. CONSTANTI. FILIO
BONO. R. P. N. *

Qvod documento eſt, Pontificis Maximi titulum plerisqve Chriſtianis impp. fuiſſe additum, neqve in eo falli Zoſimum, qvod commemorat, id more inſtitutoqve maiorum fuiſſe ſervatum, ut cognomen Pont. Max. in publicis formulis uſurparetur, *IV. 36.* Πάντες αὐτοκράτορες ἀσμενέστατα φαίνονται δεξάμενοι τὴν (τοῦ ἀρχιερέως μεγίστου) τιμὴν, καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρησάμενοι ταύτῃ ἐπειδὴ εἰς Κωνσταντῖνον ἦλθεν ἡ βασιλεία. Nec multo poſt ſubiungit, primum inter Chriſtianos Principes fuiſſe Gratianum,

* *Qvae inſcriptio prius facta eſt, qvam Chriſti ſacra a Conſtantino ſuſcepta ſunt, qvod cum ſtyli, tum Conſulatus ſeptimum geſti argumento colligo, ſimulqve Pontificis maximi titulum ipſi tributum evinco.*

num, qvi titulum habitumqve Pontificis maximi averſaretur. Ipſene autem Conſtantinus more exemploqve maiorum aſciverit ſibi hunc titulum, an ab aliis ſolum dari ſibi paſſus fuerit, in diverſum abeunt ſcriptores. Et nuper qvidem doctiſſimus I. Gothofredi, in eo argumento diligenter verſatus, probare ſtuduit, odio abreptum fuiſſe Zoſimum, cum ſcriberet, Conſtantinum, et pleroſqve Chriſtianos Principes hunc *paganae* antiqvitatis titulum geſſiſſe, *in epiſtola de interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione p. 30. ſeqq.* At nolim ego tot priſcis verisqve inſcriptionibus obloqvi, qvae publica auctoritate fulciuntur, Zoſimiqve ſententiam confirmant. Sive autem id rudibus *Chriſtianiſmi* Conſtantini initiis, ſive ſtatui illorum temporum, qvibus Romae adhuc magna *paganorum* auctoritas erat, aſcribas, hoc certe fatendum eſt, Conſtantinum ſumpſiſſe hunc titulum, nec ab aliis duntaxat ita fuiſſe appellatum. Qvod tamen non eo ſpectabat, ut ſtudio in *paganorum* ſacra faceret, aut aliqvid ex eorum errore inpiove cultu retineret, ſed ut hoc titulo ſummam, nec *paganis* Pontificibus obnoxiam poteſtatem denotaret, Senatumqve Romanum ex capite religionis Chriſtianae a ſe alieniorem, relicta veluti ſuperioris ſtatus imagine, opportune comiterqve devinciret. Alioqvi ritu Chriſtiano, et rebus ſacris iam a paganis diſſidebat Conſtantinus, et nihil praeter nomen titulumqve iſtum retinebat, qvod Zoſimus fateri neceſſe habuit, qvum teſtatus eſt, Conſtantinum, ſuſcepto Pont. Max. titulo, de via avitorum ſacrorum deflexiſſe, Chriſtianumqve evaſiſſe. * Verum alii, nec vulgares viri inde petunt argumentum ** iuris ſacrorum ad impe-

* καὶ ταῦτα τῆς ὀρθῆς ὁδὲ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπεὶς, καὶ χριστιανῶν ἑλόμενος πίστιν. *IV. 36.*

** *Id vero priſco antiqvitatis inſtituto non congruit: aliud enim eſt Epiſcopus* τῶν ἔξω τῆς ἐκκλησίας, *aliud Pontifex Maximus, dum proprie et accurate loqvendum eſt.*

imperatores pertinentis, propter qvod Conſtantinus ipſe ſe profeſſus eſt Epiſcopum, qvatenus in eccleſia ſummam rerum externarum poteſtatem imperiumqve habebat. Proinde cum epiſcopos convivio exceptos alloqveretur, hanc vocem prorſus memorabilem, Chriſtianoqve imperatore dignam emiſit. *ὑμεῖς τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας· ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην, lib. 4. c. 24. de vita Conſtantini.* Id vero non eo a me dirigitur, ut Baronio aſſentiar, qvum putat, Principes Chriſtianos permiſſu Chriſtianorum Pontificum titulum Pont. Max. ſibi aſciviſſe. Etenim nullo idoneo auctore unqvam hoc evincet Baronius, qvoniam Epiſcopi Romani ſub illud tempus nondum ea auctoritate pollebant, ut titulos dignitatesqve permittere imperatoribus poſſent. Adhaec ratio uſurpandi eius tituli non a permiſſu Chriſtianorum Pontificum, qvi tum eo nomine haud appellati ſunt, * ſed a conditione iſtorum temporum, qvibus ſimulacrum huius tituli expediebat, ſumpta fuit. Multo minus ad rem cauſamqve hanc ſpectat, qvod ex non facta eius moris reprehenſione colligit, Pontifices Chriſtianos eum tituli capiendi modum permiſiſſe, propter qvem alioqvi Chriſtianos imperatores obiurgaturi fuiſſent. Namqve Romani Epiſcopi non habebant permittendi ius, ſive poteſtas denotetur exterior, qvae in dirigendo ſita eſt, proprioqve iure Chriſtianis imperatoribus convenit, ** ſive interior qvoqve intelligatur, qvae ſacro Ordini divinitus confertur, neminiqve obnoxia

* *Papae nomen ſibi aſciverunt Epiſcopi Romani, qvod tamen Gregorii M. aevo nondum deſiit tribui a iis Epiſcopis. Qvin et iam multis ante Gregorium ſeculis Epiſcopi Alexandrini dicti ſunt Papae, apud Euſebium H. eccl. lib. 7. cap. 7.*

** *Hanc centum fere annis poſt Conſtantinum agnoſcit et laudat Auguſtinus cum paſſim in epiſtolis, tum in lib. retractationum: ſuffragantur Graeco-Romani ſcriptores.*

noxia eſt praeterqvam Deo. Nam merum nomen titulusqve externus ad iudicium imperiumqve civile pertinebat: reliqva autem, qvae ad interiores ſacri muneris partes attinebant, non erant eiusmodi, ut ab ipſomet epiſcopo Romano permittendo mutari poſſent. Tum vero epiſcopi Romani privati commodi memores, patientia Chriſtianorum impp. augebant ſenſim cumulabantqve ceremonias ſuas, haudqvaqvam neceſſarias, ſaepeqve inutiles, et deinceps etiam non raro perniciosſas, ut vel ſic ratio ſubeſſe qveat, cur nihil interpellarent, offenſamqve declinarent, ſive qvia Conſtantino aeqvales id non audebant, ſive qvia ſuppares proximiqve conſulto negligebant, tanqvam id non eſſet eiusmodi, in qvo ſalus rei Chriſtianae verteret, ſi vel maxime aliqvid culpae rudi *Chriſtianismo* ignoſcendae in eo titulo ineſſet. Ceterum Melchior Goldaſtus titulum Pont. Max. imperatoribus deberi affirmat, eumqve de ſumma rerum eccleſiaſticarum poteſtate interpretatur, atqve inde repetit ius indicendi concilia, cogendiqve et moderandi conventus ſacros, *in dedicat. tom. III. conſtit. imperial.* Senſu eqvidem bono, et ad aſſerendum Caeſaribus ius ſacrorum ſatis accommodato, ſed ab inſtituto huius antiqvitatis, prout a Zoſimo explicatur, recedente.

15. Minor dubitatio eſt de labaro, vexillo Romanorum, qvod primus omnium Chriſtianorum Impp. cruce diſtinxit Conſtantinus, cohortibusqve acie congreſſuris praeferendum curavit, et hoſtibus veluti ſcutum qvoddam obiecit. *Vid. Euſeb. lib. 1. de vita Conſt. cap. 31. Sozomenus lib. 1. cap. 4.* Neqve vero id apud cordatos ſuſpicionem habet, et magno conſenſu traditur, qvod Conſtantinus viderit in nubibus ſignum crucis, eiusqve ad effigiem a Chriſto Servatore commonitus vexillum adornavit. Nam et permagna Euſebii illorum temporum Conſtantinoqve familiaris auctoritas eſt,

et aliorum ſide dignorum teſtimonio ornatur, adeo ut temeritatis culpa non vacet, qvisqvis miraculum omnium fide probatum, nec ab incunabulis imperii Chriſtiani alienum, paulatimqve erudiendo et confirmando Conſtantini animo accommodatum, ſit praefracte negaturus. * Audivit hoc iureiurando confirmatum ex ore Conſtantini Euſebius, nec multum refert, qvod profani, atqve a literis Chriſtianis alieni ſcriptores illud ipſum tam inſigne miraculum taciti praeterierint, neqve vel de labaro Conſtantini aperte qvicqvam conſignarint. Eo magis, qvod nihil tale tradunt iſtius aevi oratores pasſim celebres et clari, qvorum ingenium atqve induſtriam nihil fugiebat, praeſertim in eo genere, qvod ad augendas Conſtantini laudes pertinebat. Etſi enim ſubobſcura qvaedam veſtigia ** in *panegyriſtis* extant, tamen nihil uſqvam occurrit, qvod vel crucis vel labari nomine

* *Qvae ratio fuit plantandae eccleſiae Chriſtianae, ut miraculis indigeret, ea videri poteſt plantandi qvoqve, ut ſic dicam, imperii Chriſtiani, cum futuri incertus Conſtantinus ſigno diviniore ad depellendam Maxentii tyrannidem incitaretur, pariterqve confirmaretur. Hinc devictis tyrannis titulum Victoris ſumpſit, qvem nunqvam ſuſcepit pater eius Conſtantius. Ceterum in modo viſionis crucis differt ab Euſebio Sozomenus lib. 1. cap. 3.*

** *Nazarius in paneg. ad Conſtantinum memorat exercitus divinitus miſſos: qvod cuiusmodi fuerit, explicatur in hiſtoria tripartita. Similiter Optatianus Porphyrius panegyriſtes meminit* coeleſtis ſigni, *ſed de memorabili et miraculi plena viſione Conſtantini nil tradit. Nec Eumenius panegyriſtes, aut qvisqvam eius ordinis hoc enarravit. Victor et Eutropius, nunqvam Chriſti nomen profeſſi ſcriptores, nihil huiusmodi complectuntur. Auſonius qvidem in carmine, qvod Moſella inſcribitur, inſtituta digreſſione,* divi caſtra incluta Conſtantini, *canit verſu ſpondaico et ſignificantiore: ſed enim is Poeta Chriſtianus fuit, et qvia Belgicas regiones diligenter peragravit, eleganti, at ſatis obſcura deſignatione commonſtravit locum in Belgica I. apud Moſellam, ubi egit Conſtanti-*

ne appellarint. Cuius rei cauſam aperire haud difficile eſt, qvando memoria teneo, eos crucem pro nota ſervilis ſupplicii habuiſſe, * atqve infra Conſtantini gloriam duxiſſe, ſiqvidem religio ipſis erat tribuere Auguſto, qvod ne liberis qvidem hominibus tribuendum putabant. Chriſtiani autem pro amore, qvo Servatorem Chriſtum amplexi ſunt, crucem in orientis ** aeqve ac occidentis regionibus clarum et manifeſtum rei Chriſtianae indicium eſſe voluerunt, nec aliter, qvam verum germanumqve depulſae ſervitutis, et inſtauratae contra divinioris libertatis ſignum retinuerunt. Ea de cauſa Magnentius tyrannus, eiusqve frater Decentius, vel ſola crucis teſſera, cuius religionis eſſent, indicarunt. Nam eorum numi crucem, doctrinae Chriſtianae ſymbolum, praeferunt,

ſtantinus, qvum vidit coeleſte ſignum, qvod ſubindicat Auſonius, appellans caſtra eius incluta, *id eſt, Solis in occaſum vergentis luce refulgentia, ob* ϛαυρȣ̃ τρόπαιον ἐκ φωτὸς συνιϛάμενον, *Euſeb. lib. 1. c. 28. vit. Conſt.* Hac viſione † *erectus firmatusqve, animum futuri anxium collegit, fiduciamqve conferendi praelii cepit, atqve a Moſella inde verſus Italiam movit, Alpesqve transgreſſus, Maxentium apud Pontem Milvium vicit. V. Eutropius lib. 10. c. 3. et inprimis etiam Prudentius, Poeta Chriſtianis lib. 1. contra Symmachum.*

† *Alioqvi tres viſiones obtigerunt Conſtantino I. in Gallia Belgica apud Treviros, qvae hic a me denotatur. II. in Italia, qvae Romae ipſi oblata eſt. III. in Thracia apud Byzantium. Vid. Nicephorus l. 7. c. 47. 49.*

* *Apud Val. Max. lib. 2. c. 7. n. 12. Hinc cruribus metuens apud Horatium, eſt, extimeſcens poenam ſervilem, utpote crucem, qvam heri qvoqve veteri iure Qviritium interdum ſervis privatim imponebant, praeſertim in criminibus atrocioribus. V. Scipio Gentilis in Apol. Apuleii p. 363.*

** *Iudaei autem per calumniam dixerunt, crucem apud Chriſtianos ſuperſtitioni et maleficiis ſervire. Itaqve Philippus Cyprius in Chron. eccleſ. Graecae cap. 26. ſcripſit.* εἶπον οἱ ἑβραῖοι, οἱ χριϛιανοὶ ἔχȣσι μαγίαν τὸν ϛαυρὸν. *Multo rectius meliusqve de cruce iudicavit Ioh. Smetius in antiq. Neomag. p. 46. ſeq.*

ferunt, atqve haud dubia priſcae piaeqve vetuſtatis argumenta praebent. * Qvo more deinceps factum eſt, ut crux in literis tabulisqve pingeretur, qvippe qvam Chriſtiani iam antiqvisſimis temporibus amarunt veneratiqve ſunt, et exinde etiam ſalutarem nuncuparunt. Non qvin iis notum eſſet, crucis figuram per ſe inanem eſſe et inutilem, ſed qvia inſcriptum tenebat ſalutare Chriſti nomen, in qvo oculos animosqve omnium Chriſtianorum defixos eſſe oportet. ** Eiusdem ordinis ſunt numi cum effigie labari et ſerpentis in modum anchorae, et pleriqve alii, in qvibus figura crucis cum piſcibus et adiuncta anchora cernitur, qvorum ratio omnis in eo poſita eſt, ut denotent ſpem Chriſtianorum, qvae in ſatisfactione Chriſti, qvem ſerpens piſciculiqve *** deſignant, fixa locataqve eſt, eo qvod praeter nomen Chriſti nihil ſit, in qvo conqvieſcamus, ſpemqve ultimam ponamus. Sed ut maxime crucis uſus conſvetudoqve diutisſime valuerunt, tamen nimis credulus ſit, qvi cum Gvidone Pancirollo inde ab Apoſtolis repetat, qvippe qvi nuſqvam tale ſignum, vel exemplum nobis reliqverunt. *V. eius theſaurus var. lect. lib. 2. c. 215.* Ego ultra, qvam aevum Tertulliani patet, non progredior, et ſicut crucis antiqvitates inde auſpicor, ita labari initia altius duco, Hadrianiqve temporibus aſcribo, et qvia de cruce ſupra dixi, in praeſens addo, *ſiphara vexillorum et Cantabrorum* a Tertulliano, qvi Septimio Severo imperante floruit, diu ante fuiſſe prodita, qvippe qvibus labara innuit, qvaſi-

* *Character certisſimus eſt τὸ ϱ χιαζόμενον, de qvo vid. lib. 1. cap. 31. de vita Conſt.*

** *Hinc in oratione funebri de obitu Theodoſii dicitur. Regem* (Ieſum Nazarenum) *adoravit* (Helena) *non lignum utiqve, qvia hic gentilis eſt error, et vanitas impiorum.*

*** *Tertull. de Baptiſmo cap. 1. Nos,* inqvit, *piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum Ieſum Chriſtum in aqva naſcimur.*

qvaſiqve *ſtylos* * *crucium* deſcribit, ut refellat confundatqve non Chriſtianos homines, qvi et religioni et ritibus Chriſtianorum proterve illudebant, *apologetici cap.16.* Haud ſine cauſa, diſſentiente qvamlibet Dallaeo, ** exiſtimes, iam illo tempore, imagines plerasqve etiam ex materia confectas habuiſſe Chriſtianos, † vel eo argumento, qvia Tertullianus gentes a ſalutari cultu alienas, nec ſine riſu et ludibrio religioni ceremoniisqve Chriſtianorum inſultantes perſtringit, qvod *originem Deorum a plaſtis de cruce inducant*, *victoriasqve adorent, et ſigna venerentur*, contra, qvam Chriſtiani facere conſveverint, qvippe apud qvos nullus crucis ſimulachrorumqve cultus eſſet, ſi vel maxime ab iis imago crucis, ritusqve ſignandi adhiberentur, *loco iam adducto collat. libr. de corona militis cap. 3.* Qvare ritus adorandae crucis ſeqvior eſt, et ſuperſtitione degenerantium temporum inductus, neqve in divinis tabulis, qvibus verum religioſumqve cultum ſanxit Deus, neqve in priorum ſeculorum, qvae de Chriſti Apoſtolorumqve veſtigiis nondum deflexerant, more exemplove ullum praeſidium habet. Nihilo rectiora afferunt, qvi σεβάσμιον ςαυρὸν ſic interpretantur, ut ritum odorandi oſtendant. Enimvero veneratio, qvam σεβάσμιος denotat, tantum differt a religioſo cultu, qvantum divina ab humanis diſtant. Neqve eſt, cur aliqvid de σωτηρίε ἐπηγορίας συμβόλῳ adiiciam, qvandoqvidem id nulli idolorum cultui patrocinatur; multo minus huc ſpectant σεβασμὸς, τιμὴ, et ſi qvae talia ſunt, qvae cum vocabulis ſacrum Chriſtianae pietatis officium denotantibus paria non faciunt, nec per ſe id ſignificant, qvod divinioris cultus nomine venit: contra, pleraqve alia ſunt, qvae nemini, praeterqvam vero et aeterno Deo tribuuntur. Atqve hoc uſus pariter et lectio me docent, prorſusqve ita con-

* *Alii ſtolas legunt, ut noviſſime qvidem Carolus Moreau in edit. Paris. 1658.* ** *de relig. cult. obi. adv. Lat. lib. 1. cap. 14.*

† *Huc ſpectat locus apud Euſebium l. 7. hiſt. eccleſ. cap. 18.*

firmant, ut ſtatuam, verba λατρεύειν, δουλεύειν, προσκυνεῖν, θρησκεύειν, in tribus prioribus ſeculis, qvae Chriſti Apoſtolorumqve doctrinam ſtudioſe retinuerunt, ad nullum alium, qvam ad religioſum cultum adhiberi. Cetera ſecula, ut a pietate priſtina, et ſimplicitate moris antiqvi, ita etiam a priſco uſu ſaepe receſſerunt, qvod tamen huic cauſae non officit, neqve divino cultui poteſt eſſe fraudi.

16. Verum qvia fines conſtitutos egredi non licet, illud qvoqve praeterire non poſſe mihi videor, qvod facit, ut intelligatur, qvando Conſtantinus evaſerit catechumenus, qvamqve viam inierit, ut ſacro fonte ablueretur. Eqvidem catechumeni, qvum primum ad coetus Chriſtianos adventabant, doctrinae coeleſtis expertes erant: itaqve eos inſtitui recte et initiari oportuit: horum autem qvidam fuere rudiores, * minusqve inſtructi ad res capitaqve fidei intelligenda: qvidam provectiores, ** diuqve inſtituti, ac divinis literis iam ſic eruditi erant, ut haberentur idonei, qvi ſtato tempore ſalutari lavacro expurgarentur. Qvod diſcrimen cum in conciliis, tum in monumentis patrum Graecorum Latinorumqve traditur, poſt qvam Licinii ſaevitia ei occaſionem dedit, qvorſum ſpectat *Concil. Nicen. oecumen. can. 14. ibidem Graeco-Romanus Canonum interpres Balſamon, Alexius Ariſtaenus in Concil. Ancyran. can. 14. Matthaeus Blaſtaris in ſyntagm. Alphabet. cap. 10. lit. K. De audientibus vid. Tertullianus cap. 6. de poenitentia: de competentibus Ambroſius lib. 5. ep. 33. ad Marcellinam ſororem.* Qvoniam vero pleriqve Catechumeni, tradito a Novatianis errore, baptiſmum usqve in ultimum vitae tempus differebant, *** evenit, ut Clinici diceren-

* ἀτελέστεροι, *imperfectiores, item* ἀκροώμενοι, *ſive audientes.*

** τελειότεροι, *itemqve* εὐχόμενοι *orantes, et Latinis competentes dicuntur.*

*** *Redarguunt morem* hunc Chryſoſtomus et Nazianzenus, *inter patres Graecos: ex Latinis Ambroſius lib. 5. ep. 34. ad Theodoſium, ubi dolet, Valentinianum, aevi integrum ſine baptiſmo deceſſiſſe.*

cerentur, qvod morbi cauſa in lecto impoſiti, iamqve morituri vellent cuperentqve tingi fonte ſacro. Igitur hunc morem non caute, nec recte ſecutus eſt Conſtantinus, remqve tam arduam et omni parte divinam, ad ultimam fatalemqve horam reſervavit, * qvod praeter Euſebium *lib. 4. de ipſius vita cap. 61. et 62. docent teſtanturqve Socrates lib. 1. cap. 39. Hermias Sozomenus lib. 2. cap. 34. Theodoretus lib. 1. cap. 32.*** Non autem neceſſe eſt definire tempus, qvo Conſtantinus ſolenni eccleſiae ritu effectus eſt catechumenus, qvod vulgo in annum C. 312. nullo veritatis argumento reiiciunt. Neqve ad hoc probandum ſumi poteſt inſcriptio Euſebiana, qvae qvidem extat in principio *capitis XXXII. lib. 1. de Vita Conſtantini:* primo qvod non legitur in antiqviſſimis codicibus Graecis, deinde ab alio, qvam ab Euſebio fuiſſe inſertam, multa indicia produnt, nec deeſt argumentum, qvo probari qveat, titulos ſummariaqve ſeqviori aevo ad librorum capita acceſſiſſe. Tum ritus imponendae manus, qvo palam fiebant catechumeni, non memoratur illo in loco, qvi in controverſiam vocatur. Omnino igitur fatendum, inter profeſſionem Chriſtiani nominis, et ritum perfectioris Catechumeni *** a Conſtantino M. ſolenniter ſuſceptum, annorum fere XXV. ſpatium interceſſiſſe. Qvod indicat aperteqve commonſtrat Euſebius *capite LXI. libri qvarti, qvi agit de Vita Conſtantini.* Mortuo, qvod A. C. CCCXXXVII.**** accidit, maximus

* *Non hic moramur acta fabuloſa Sylveſtri, et auctoritate Euſebii, cuius fere omnia, praeterqvam Chronicon, qvod Hieronymi eſt, approbamus. Conſentiunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus. Ceteri, ut Ni ephorus, Zonaras, Cedrenus, fidem non merentur.*

** *De baptiſmo Conſtantini vid. Abraham Scultetus in confutat. diſputationis Caſ. Baronii de bapt. Conſt. ao. 1607. Neoſtadii edit.*

*** γόνυ κλίνας ἐπ᾽ ἐδάφους, *ait Euſebius. At iuxta Scholiaſten Harmenopuli* τῶν γόνυ κλινόντων κατηχουμένων ἡ τελειοτέρα τάξις.

**** *Idacius in faſtis Conſularibus, auctor faſtorum Siculorum, Proſper Aqvitanus COSS. Feliciano et Titiano annum hunc ſignant, tenentqve hanc epocham hiſtoriae miſcellae auctor, Socrates, et perplures.*

ximus honor decretus habitusqve habitusqve eſt, ac ſtatuae * deinceps et imagines ad pompam factae, exeqviis decus, meritisqve gloriam, et nomini eius immortalitatem conciliarunt. **

* *Ob nimiam ſtatuae Conſtantino poſitae venerationem Chriſtianis ſuccenſuit Philoſtorgius, tanqvam in cultum ſtatuarum imaginumqve nimis proni eſſent, hiſt. eccles. a Photio excerpt. lib. 2. cap. 18. Graviter etiam patres huius et proximi ſeculi, inprimis Chryſoſtomus et Hieronymus, eo nomine indignantur, cultumqve imaginum et ſtatuarum iam Philoſtorgii aevo uſitatum reprehendunt. Hinc ab imperatoribus ipſismet latae ſunt leges, qvae vetant imperatorum ſtatuas adorari, qvas etiamnum in C. Theodoſiano reperimus. Tam facile ſe dant occaſiones ad ſuperſtitionem, qvum veneratio vertit in cultum, honoresqve nimii ingeruntur. At vero Euſebius de religioſo eiusmodi cultu et ſupplicatione nihil tradit, neqve verba γονυκλινεῖς ἠσπάζοντο, lib. 4. de V. Conſt. cap. 67. et αὐτὸν ἐτίμων, lib. eod. cap. 69. plus deſignant, qvam civilem cultum reverentiamqve. Nec Philoſtorgio aſſentior commemoranti, Chriſtianos victimis placaſſe imaginem Conſtantini. Qvod nullus huius ſeculi ſcriptor prodit, prorſusqve a ritu et pietate Chriſtiana abhorret. Nec ſeqventia rectiora ſunt, et male ab Henrico Valeſio probantur. Igitur fruſtra errori praeſidium petitur, et qvaeritur augendis fabulis color ex fucata, minimum ſuſpecta, et ſeqviorum inclinatae eccleſiae temporum antiqvitate. Cetera commenta, qvae de gladio Conſtantini M. in Angliam perlato, deqve corona ad Hungaros miſſa circumferuntur, ipſa ſe refellunt, apud Henricum Knygthon de eventibus Angliae, p. 2321. et apud Petrum de Revva in centur. Hung. ſept. p. 142. 143.*

** *Sed vitia erroresqve eius excuſant Euſebius lib. 4. cap. 54. de vit. Conſtant. Theodoretus lib. 1. c. 33. Eaqve de cauſa admiſſorum veniam petiit, vit. Conſt. d. lib. c. 61. cuius auctorem eſſe Euſebium, vel ex Socratis Scholaſtici lib. 1. c. 1. et Sozom. lib. 1. c. 3. Iacobo Gothofredo conſtare potuit. Contra alii Satyrico more eum carpunt, ut Iulianus παραβάτης, et Sophiſta Libanius, qvibus accedit Zoſimus Conſtantinomaſtix, alii modeſte reprehendunt, ut pleriqve doctores Chriſtiani, minime diffitentes, hominem fuiſſe, qvippe ſub qvo adoleſcentia rei Chriſtianae deſiit, iuventusqve coepit, ſi, qvemadmodum Pop. Ro. Florus, ita nos Rempublicam Chriſtianam veluti ſecundum aetates ſuas partiamur. Conf. anonymi tractatus de aetatibus eccleſiae cap. 5. apud Goldaſtum Monarch. Imper. tom. 1. p. 28. In reliqvis vid. Franc. Balduini Conſtantinus M.*